Crac. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1637. pro quad. S. Crucis.

Gąsiewski Joan. Nicol: Florilogium ingenuis XVII adolescentibus – conscriptum.

~~Poezya 2775.~~

FLORILOGIVM

Ingenuis XVII. Adoleſcentibus,

DVM

Fauente Apolline & plaudentibus Muſis, Primam in Artibus honeſtiſſimis & Phil. Lauream, publicè in Almo Lycæo Iageloniano ſuſciperent.

A

Joanne Nicolao Gaśiewski, eiuſdem Laureæ Candidato boni ominis gratia

CONSCRIPTVM.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Typographica Franciſci Cæſarij,
Anno D. M. DC. XXXVII.

In Stemma Illuſtriſſ: & Mag. D. Dni. HIERONYMI ADAMI *à Granow* SIENIAWSKI *in Szklow, Reg. Supr. Vexillif.* FILII.



Metra meras credens nitidis ſine lucibus vmbras,
(Nam tot ſunt vmbræ, metra quot atra patent)
Quis dabit heu vmbris dixi, ſua lumina noſtris?
Cuî ſat abunda nitent lumina, credo dabit,
Talis SIENIAWSKI *generis ſplendore coruſcus,*
Lumine Luna cui, Stella cuiq; nitet.
Irradiare poteſt vmbras hic lumine noſtras,
Imo poteſt ipſa nocte creare diem.

Jllustriss: ac Magnif. Domino,

D. HIERONYMO ADAMO à Gránow SIENIAWSKI, Comiti in Szkłow, Reg. Supr. Vexillif. FILIO.

PERENNEM FELICITATEM, P.

REbus in dubiis anxius & velut quibusdam circumseptus tenebris, quò me verterem Illustriss: & Mag. Dńe. multo tempore, cui nam hoc leuidense opellæ meæ munus dedicarem, dubitaui. Verum me Tua Sydera Illustriss: & Mag. Dńe. ad Te rectiùs deduxerunt. Quorum luce *Syderum in viam optimæ spei deductus ita in proposito progressu fui irradiatus, vt magnis Tuis circumfusus radiis existimarem Illustriss: & Mag. D. lucem Tuam visum ipsum perstringentem, non aliâ ratione, quàm oculis Laureâ desuper virente adumbratis aspicere. Accurri sic, eò libentiùs, quò Te illustriùs Illustriss: & Mag. Dne. generis, & Virtutum, & studiorum splendore latissimè splendentem aduerti; Accurri inquam, spe-*

rans Te tot luminibus vndequaq; collucentem & abundantem, non modo candidiorem, nobis Candidatis efficere conceptam de Laureâ solennitatem, verùm etiã & in media nocte mihi nitidam lætitiæ creare diem. Et quoniam præsentiâ Tuâ & luminibus Tuis nobis triumphalem exornare non finis diem, decet ne sine aliquo à nobis honore abires. Accipe itaq; Illustriss: & Mag. Dne. multum luce Tuâ conspicue, non ornatura, sed honoratura aut exornari à Te cupientia operis mei munera, & licet per multorum manus ea diuisa vides, Tua vniuersa, vti Tuo Nomini dicata, existima. Pauca quidem, vti breuioribus conscripta mensuris, cum tamen simul cum ætate virtutibus & præclare gestis Lunam Tuam spatiosam adhuc implebis, aut superabis, in amplius se diducent metra augmentum & argumentum. Cæterùm cùm ante oculos Tuos Candidatorum Nomina velut legionem ad legendũ, & me ipsum cum eisdem statuo, illud cogita non minùs me metra Nomini Tuo quam animum & obsequia mea dedicare; cuius animi magnitudo, si proinde atq; vultus conspicuus esset, videres profectò Te non in sella aliqua, sed in mentibus animisq; nostris consedisse. Viue itaq; in Actdemia nobis, in Patriâ Tuis, in Rep. vniuersis.

Illustriss: & Mag. Dominationis Tuæ
deditissimus,
Ioannes Nicolaus Gąsiewski.

ODE Dic. Tetraſtroph.

QVæ das ſola Cracouię
Lucē, lux bona Patriæ
Orta nō cerebro Iouis,
Almæ at cerebro
ACADEMIÆ.
Non fictis Aganyppidos,
Vndæ pota liquoribus,
Riuis pota bonis, bono
Pota Numine,
Pota & Omine.
Huc delecta Cohors vola,
Et dilecta Patrum ſalus,
Huc adſis, placidas modo
Carprura manu,
Captura ſinu.
Baccas diuitis hortuli,
Quas alacriter ô tibi
Altrix morum ACADEMIA,
Gratæ Genitrix,
Grata filijs.
Portat mellilega manu,
Atque blandidulis comis
Texit ſerta virentia,
O amor pie,
O Parens pia.
Ipſa nectare dulcium
Artium fouet, ipſaque
Iungit dona laboribus,
O Parens bona,
O Amor bone.
Dum ſic nectit eburneis,
Serta pollicibus, ſimul
Miſtis addit amoribus,
Conſonos rei,
Orique ſonos.
Ohe quis mihi de meo
Natos vertice filiòs
Pandet? queîs ego alacriter
Et dona fero, &
Lauream offero.
O quis non modicus meas?
Aures obuolitat ſonus?
Quis clamat? profugum velut
Ales Daulias,
Dum clamat Itym.
Voci tune parem meæ,
Vocis fingis imaginem
O Echo? ocius, ocius
Huc Echo pede
Curras! quid lates?
Tun.es ô Charytum Tryas,
An pulcher Dryadum chorus

An Fauni? faueatis &
O vos Dryades,
Vos ô Charytes.
At nos forsan amabiles,
Falsæ vocis imagines
Ludunt, ingeminat sonos
Forsan alius
Quisquis es, sona ?
Auditisné sonos, adhuc
Aures qui feriunt meas?
Quis sub serta vocans ais?
Gressu propero
Ite, currite.
O quis non modicus meas
Aures obuolitat sonus?
Agnus ceuque vagans sonat
Pastorem ciens,
Et Matrem ciens.
Non est hic Charytum sonus
Non est; nec Dryadum sonus
Hic est; cuius at? ô mihi
Dicite mei
Vos mî Comites.
Cessatote: scio tonant
Cuius murmura gutturis,
Est vox est Academiæ,
Principis meæ,
Altricis meæ.
Veræ sunt Academiæ,
Tanquam Matris amabiles
Sunt hæ vocis imagines,
Voees popriæ
Proprij soni.
Adsis, & faueas bona
Mater; adsumus, adsumus
Turbæ poscimus aureum
A Matre decus,
A Matre iubar.
LVCAS ecce prior venit
Rzyskieuicius, ambitu
Vestis, Relligioneque,
Verè candidus,
Verè lucidus.
Cernas quam roseus cito
VLADISLAVS adest gradu
Mitkouiî Medici cruor,
Doctoris boni,
Optimi Viri.
IOANNEMQ. Kuceuium
Cernas, qui licet est suo
Claro stemmate lucidus.
Candidam tamen
Quærit Lauream.
Cernas indolis optimæ
ALBEBTVM Vesolouium,
Quem cum præcipuis Viris
Vidit Gallia,
Et Germania.
Plures Alma Parens vocas?
Imus, iussa capessimus
Plures

Plures, ad ſtudij decus
Promptus venio,
Hique veniunt.
Adſtat nobilioribus
Stirps narranda coloribus,
Quæ vel hinc ſat idonea
Quod ſit nitidæ
Stirps Cracouiæ.
Præſto eſt, Alma Parẽs, fauẽs
Ioannes Tibi Cæſari,
Cuius Patris adeſt tibi,
Vt mens proxima,
Sic ſtirps proxima.
Fratrum binus adeſt decor,
Ambo corda Cracouiæ,
Theſauruſque Lemię́ſsij,
Patris optimi,
Ciuis optimi.
Hoc paſſu iuuenum excitus
Richwalski properat citus,
Promens dotibus ingeni
Certam placidis,
Spem Parentibus.
Sunt hic, ſunt alij boni,
Naturæ iuuenes bonæ,
Quorum Nomina mox erũt
Digna Lybico,
Scribi marmore.
Iuſtè commemorabilis
Eſt Mleczkouicius pius,
Eſt Małkouicius pius,
Doctrinæ bonis
Cincti dotibus.
Eſt Wcisłouius aureus,
Eſt & pæne ſequacibus
Tranſmittenda, nepotibus
Virtus humilis
Hic Skiruinij.
Eſt largo Dunaieuius,
Sat nutritus Apolline,
Cuius iudicium ſacris
Lymphis clarius,
Nymphis pulchrius.
Eſt & Palladiæ domus
Hic ſplendor Makouiecius,
Quem ne prætereuntibus
Pennis tranſuolem,
Penna me monet.
Eſt non degener inclitâ
A virtute Lośiecius,
Eſt Starczynius.ingeni
Spe non ultimus
Eſt Niżołowicz.
Omnes hi memores tui
Mites ſurgimus, exciti
Cùm Sol Oceano ſubeſt,
Ceu nido die
Surgunt volucres.
Audimus velut Orphea
Non audire citi modo,
Aſt

Aſt & ferre, quod offeres
Offer adſumus,
Omnes en ſumus.
Noſtras inſere per comas,
Per comas cupientia
Se diducere germina,
Baccæ germina,
Laudis præmia.
O perflata fauentibus
Fauſtè ſerta Fauonijs
Æqua Hyblæ, æquaue Lilio
O pulchra nimis
O pura nimis.
Qui ſunt, queîs ea munera,
Lætas non faciant vices?
Hæc, hæc dona potentiùs,
Doctos altiùs
Ducunt HOSIOS.
Oſtro nonne Quiritio
Creuit? creuit & in ſuâ
Tridentina Patrum manu,
Et vota habuit,
Et conſilia.
Dicat dignus eburneo,
Tolli laudis in eſſedo,
Vſque, & vſque ſub æthera,
CROMERVS ſacrâ
Fulgens infulâ.
Quid viro facilem viam
Sacram ſtrauit ad Infulam?

Credo Laurea quæ fuit
Si non profuit,
At non obfuit.
Hæc horas vehit aureas,
Poſt longas ſtudij moras,
Abſtergitque papyreo
Sudorum genis
Guttas linteo.
Sume, ſume Cohors bono
Certans Nomine & Omine,
Hanc poſt prælia Lauream
Et pulchram nimis,
Et puram nimis.
Quam fauſto pede prælia
Sunt calcata per arduam
Doctæ Palladis aream,
O labor, labor,
Prædulcis labor.
Serò, ſerò nimis mihi,
Sunt hæc munera cognita,
O quam non cito cognita,
Felix cui cito
Sunt hæc cognita.
Felix, qui ocior Icaro,
Hæc ad dulce ſonantium
Ibas Claſsica Claſsium,
Marte fortior,
Arte ditior.
Solus ſerus ego & piger,
Immorabar ad auream
Dudum

Dudum currere Lauream,
Heu ferus nimis
Ferreus nimis.
Serò, ſerò Parens pia,
O Parens Academia,
Serò lucidulum tuum,
Attingo bonum,
Nec tuum, vt meum.
O Phænix rapido gradu
Quæ cremata redis rogo,
Dic, quâ buſta ſtruis ſtrue
Quas ſyluas legis,
Quod legis nemus?
Dic vbi ſine me legis?
Cum pubente nouos vbi
Confers germine ramulos?
Et me deſeres?
Abſque me leges?
Tecum ligna ſuper focum,
Vſque, & vſque ſimul legam,
Vſque & vſque ſimul cadam,
In ligna ſimul,
In rogum ſimul.
Vt queam, ô vtinam queam,
Tecum ex igne reciprocum
Ales vertere ſæculum,
Et primam nouæ
Ætatis diem.
Quam vellem, valeant Deæ
A vobis iterabilis
Carpi ſtamina ſæculi,
Carpique dies
Horæ cum moris.
Serus quandoquidem tuum,
Cæpi currere ad Hortulum,
Pro ſertis, Academia
O chara nimis,
O clara nimis.
Fors tunc ſi mihi creſcerent,
Cæpti ſtamina ſæculi
Creſceret benè cum nouo
Sæculo virens,
Viuens Laurea.
Sed quo penna volauimus?
Quò quò per lachrymabile
Queſtuum volito mare?
Noſtrorum immemor,
Et mei memor.
Cur ſolamina queſtibus?
Cur modis querulis iocos?
Sales miſceo Nænijs?
Deflens queſtibus,
Fletibus querens.
Vana vota quid offero?
Num verſos iterum dies?
Vſto quis retulit rogo?
Manſurum nihil,
Verſurum nihil.
Ceſsit magna Potentia
Regum, dic vbi maxima

Restat copia Principum?
Omnes hos tegit
Finis, & cinis.
Nemo versus adest Ducum,
Versus nemoq; Principum,
Omnes longa manet via,
Vt nec hi, neque,
Illi redeant.
Pergunt irremeabili
Manes ad Styga poplite,
Nec quē lintre Charō semel,
Ex vita tulit,
In vitam tulit.
Ergo verto precum rotas,
Ad te nunc Academia,
Perge, perge Parens Tuam
Nobis auream
Ferre Lauream.
Perge, perge Parens pia
O altrix Academia,
Parnassi dare Lauream
Sat seram mihi
Seriam tamen.
Nam quod ante prioribus
Poscebam querimoniis,
Hoc dabunt sine questibus
Prima viuidæ
Serta Laureæ.
Hæc, hæc serta virentibus
Serta inserta fauoribus,
Hanc quam mors adimit di(
Restaurant diem
Et vitam ferunt.
Vitam sola parit nouam
Longæ fama scientiæ,
Horis accumulat dies,
Soles Mensibus
Menses Solibus.
Ergo semper olentibus
Serta inserta viroribus
Nostrum cingite verticem
Viuite diu
Crescite diu.
Sic cum serta virebitis
Nos florere videbitis
In nobisque videbitis
Crescere bonos
Morum surculos.
Vos crescetis & interim
Nos crescemus olentibus
Cum virtute scientijs
Crescetque comes
Virtutis Honos.
O nos iam Genio bono
(Nam non ingenio bono)
Nunc natos Academiæ
Numine bono
Tempore & bono.
Scite nunc Comites mei
O partes animi mei,
Primùm

Primùm vos Academiæ
Ortos hodie,
Natos hodie.
Ergo quandoquidē hoc die
Obſcuro imus ab angulo,
Ad primæ iuga Laureæ,
Phænices velut
Nunc renaſcimur.
Nunc extrudit amās Parens
Noſtro nomine pulueres
Vt poſt ignibus æſtuent
Scintillæ nigro
Tectæ cinere.
O præclara Parens tuis
Eneruata laboribus,
Mille digna Fauoribus?
O Parens, Parens
O fauor fauens.
Tene pro tot Amoribus
Noſtris altiùs altiùs,
Non feremus Honoribus
Vſq; ad lucidas
Syderum plagas?
Quæ nos luminibus ſacræ
Artis ducis ad æthera,
Et ſub aſtra nitentia?
Præceptis bonas
Oſtendis vias,
Oſtendiſque ſimul mihi
Lætandum eſt ideo mihi,
Plaudendum eſt ideo mihi,
Et diu die
Et nocte diu.
De vobis bona præmia
Vos famoſa Corallia
Vos formoſa monilia,
Vos aurum mihi
Nec ſolum mihi.
Sed vobis Comites ſatis
Luſi, ſatque Academiæ
Parua ſunt ſcio, ſint tamen
Vobis maxima
Hæc quæ CECINI.

EPIGRAMMATA.

LVCÆ RZYSKIEWICZ, LILIVM.

CVnctis ſerta fero de monte recepta bicorni,
Debent Liliolis ſic Tibi prima dari
Inter odoratas dux eſt hic floſculus herbas,
Iure datur primo flore corona duci,

 Primus

Primus in arte manes, & in ordine primus es iste.
Felix, qui Tibi par certat in arte pari.
Tantos hæc video portat Tibi Laureá fructus
Vt quamuis tibi sit prima, secunda tamen.

VLADISLAO MITKOWSKI, ROSA.

NE *Rosa se pungat, medijs Rosa cincta vepretis,*
Fertur flore nitens ante palere rosa.
Nunc rosa rosa puto spinis, ideoque cruorem
Debuit è venis elicuisse rubrum.
In caput ergo tuum MITKOVI *maluit ire*
Namque tuum sentit mitius esse caput.
Quod quamuis plenum sit acumine, non tamen illo
Pungere membra potes, pingere membra potes.

IOANNI KVCZEWSKI, GRANADILVS.

E*T tibi perspicuum Granadilo porrigo sertum,*
Nam quid habes video, quid Granadilus habet.
Spinea serta, hastam, Granadilus habetque columnam,
Musarum plenum tu quoq; flore caput.
Sunt tibi Musarum flores, est verticis hortus,
Quos aper inuidiæ carpere dente solet.
Ergo ne quis aper carpat tibi verticis hortum
Vertice spinosus seps Granadilus erit.

ALBERTO WESOLOWSKI, ZOOPHTALMVS.

Q*Vi tantùm tectis succrescit flosculus altis,*
E tectis carptus flos tegit iste caput.
Vertice fige precor radices flosculo fige,
Viuere quo melius, quoue vigere potes.
Ante superpositum cingebas flosculo tectum,
Nunc caput Italicam quod peragrauit humum.
Nec fallente puta pede sic cecidisse, ruinâ.
In caput hoc cuperem mox cecidisse Tuâ
Ascendis, tecto quamuis descendis ab alto
Nobiliore sedes, inferiore sedens,

IOANNI CÆSARI, AGNVS.

Q*Vod magnos posthac poterit superare labores,*
Non equidem duro Marte, sed arte caput.

Hoc

Hoc caput, hoc Agno cupio decorare, sed Agnus
Nescio num dignus condecorare caput.
Ast hæc, sicut agni natiua Modestia vultus,
Hæc genuina genis Gratia, sicut Agni.
Sicut Agni Candor cunctis sine felle nitescens,
Vult vt cingaris mitis vt Agnus Agno.
Si cupis Agne, duplex ex Agno munus habere,
Ad caput, adde caput M AGNVS & Agnus eris.

IACOBO LEMIESZ, IRIS.

VIx tibi maturis adolescens messis aristis,
Messis non crudi Martis, at artis adest.
Flosculus Ambrosio sub vertice se locat iste,
Cui gladij informis plurima forma patet.
Scis cur tot gladij subsunt tibi vertice? restant
Bella mouenda puto vertice bella tibi.
Aut ideo restat gladij tibi plurima forma,
Vt messem gladijs plurima turba metat.
At seu bella tibi, messis tibi siue metenda est,
Non enses, sensus sunt tibi præsto boni.

IOANNI LEMIESZ, IRIS.

QVod fero, cum feruore tuo pro vertice sertum,
E docto sertum non nisi flore fero.
Quodlibet est etenim folium huius floris acutum,
Illi nam folio quolibet, ensis adest.
Ensibus interea cum sic cingaris acutis,
I modo sic cinctum Zoile rode caput
At quoniam certare tuo cum fratre videris,
Ingenioq; pari, iudicioq; pari.
Hoc cum fratre, precor, gratus par suscipe sertum,
Mitra Togæq; solent fratribus esse pares.

IACOBO RICHWALSKI, AMARACVS.

DIgnus amore manes, es amabilis omnibus, omnes
Vix non eloquio nam superante preis.
Et quoniam sic gratus amaris, Amaracus ipse
Sponte tuum poscit condecorare caput.
Ergo te cingit quòd Amaracus, hæc puto causa est,
Non quòd amarus ades, sed quòd amatus ades.

BARTHOLOMÆO MLECZKOWICZ, CHELIDONIA.

Cingo tuum, nec cingo caput sine viribus herba,
Quâ læsas frontis sanat hirundo faces:
Inuersa at quoniam quiuis homo dicitur arbos ;
Non caput, at pomum cernitur esse caput.
Talibus arboribus si quæris qualia mala?
Sunt bona mala bonis, sunt mala mala malis.
Hæc bona mala puto, cinguntur quæ bene mala,
Quæ nec cinguntur sunt mala mala puto.
Ergo tuum dum cingo caput, vel dixero malum,
Arbore in hac malum dicite quale? Bonum.

IOANNI MALKOWICZ, VIOLÆ.

ELige de geminis vnum precor elige sertum,
Nam quod det dubitat nescia dextra tibi.
Hoc Violæ flauent, illi verbena virescit,
Et placet hic serti flos, placet iste quoque.
At tu submissis solito pro more loquellis
Istos mellifluo fundis ab ore sonos.
Ne mihi delectus vitium crimenq; pararet,
Flecto caput quo vis contege flore caput.
Quis te iam dignum violis non dicet, Honesti
Quandoquidem nullum vis violare decus.

CHRISTOFORO WCISLOWSKI, VERBENA.

QVem me ferre putas florem tibi, dicite quemnam?
Vis violas? violas sed prior ecce tulit.
Suspice Verbenam quam si vis suscipe posco,
Vt capias supplex flectit ad ima caput.
Est hæc serua Iouis, Iouis omnia plena, sed vt sint
Plena Iouis, sumas omnia plena Iouis.
Ergo Iouis plenus, plenam Ioue, dum capis herbam,
Nunc bene sunt, dicas, Omnia plena Iouis.

ALBERTO DVNAIEWSKI, DENDROIDES.

QVi viret in petris, Petris mirantibus ipsis,
Flosculus iste tuum vult decorare caput.
Ergo potest aliquid duris excrescere petris?
Sed tamen hic crescit flosculus, ergo potest

Credo

Credo tuo melius molli flos vertice crescet,
Crescet tam docto quolibet imò Petro.
Ergo petris reddo crescentem dum tibi florem
Crescat in Albertis, non secus atq; Petris,

STANISLAO SKIRWINSKI, TIMBRA.

PRima tibi quamuis Academia serta ministret,
Nulla tamen tecto vertice serta vides.
Ergo patens timbra pono sub vertice sertum,
Vertice quandoquidem serta videre nequis.
Quid monstri est, inquis, quamuis Academia sertum
Det tecum, nudum cernitur estq; caput?
Scito, Virtutes Academia quando coronat,
Ante illam nudo vertice stare decet

IOANNI MAKOWIECKI, RVTA.

SVdores nimiosq; tuos cùm cerno labores,
Rutæ tam doctum contego flore caput.
Mox ais, haud prætiosa mihi de Ruta serta parasti,
Est mihi communis flosculus, estq; tibi?
Est scio communis, communis non erit in te,
Nam Tua quæ tua sunt, non mea sed tua sunt.
Dignior vnus erit de floribus omnibus vnus,
Flos sudore tuo, flosq; labore tuo.
Quos tu sudores cùm serto & vertice pones,
Quæuis sudorum guttula, gemmula erit.

SIMONI LOSIECKI, PVLEGIVM.

ESt flos Pulegium, foliis qui floret & aret,
Hæc etiam fessum contegit herba caput.
Dic caput, ô quoties sudoribus ante madebas,
Hic riguus quoties fluxit ad ora liquor,
Ore sitim sedare volens, de fronte fluebat,
Frons in fonte fuit, fons quoque fronte fuit,
Ergo dum foliјs siccis te nunc Comes orno,
Non tego sudorem, tergo simulq; tego.

BARTHOLOMÆO STARCZYNSKI, SALVIA.

CVm tibi nobiliora volo contexere serta,
Et meritis florem cum precor ire tuis,

Obuia

Obuia ſubrepſit pro prompto Saluia ſerto,
Heu meritis nunquid Saluia digna tuis?
Vile licet ſertum, non vile eſt, quando fatemur,
Par ſertum toto non fore flore tibi.

ALBERTO NIZOLOVICZ.

Ex Omnibus vni.

CVm tibi, cumq; tuo texebam ſerta cerebro,
Ad tua ſerta omnis campus & hortus ijt.
Candida poſcebant conſiſtere Lilia ſerto,
Fluxerat ad placitas & roſa viua comas,
Pulegium, Violæ, Verbenaq;, Saluia, Ruta,
Nec piger Agnus erat, nec Granadilus erat,
Germina cuncta tuo voluerunt vertice ſtare,
Ex cunctis ſertum floribus ergo cape,
Hoc ſi brumali petiiſſes tempore ſertum,
Propter te credo, verna fuiſſet Hyems.



AB Ioue principium ſumunt in Carmina Vates,
Vt benè procedant carmina, reſque benè
In publicum tradit ſed cum mea Carmina Muſa.
Factâ de Sceptris perficit illa Cruce,
Scilicet vt poſthac procedant omnia fauſtè,
Sydera principio, Crux pia fine micet.

Sub felicibus Auspiciis Perillustris & Adm. Rndi. Domini,

D. DANIELIS SIGONII, S. T. D. & Profess. Ecclesiæ Cathedr. Crac. Canonici, Vniuersitatis Almæ Acad. Crac. GENERALIS RECTORIS.

N. A.

Non tantum

I